

Deus est in quem peccatum cadere non potest, cætera cum sint liberi arbitrii in utramque partem flecti possunt. Hic videtur dicere quod omnis creatura in libero arbitrio constituta flecti potest ad bonum et ad malum; quod si est, ergo et boni angeli et mali ad utramque flecti possunt; ergo et boni possunt fieri mali et mali boni. Ad quod dicimus, quia boni tanta gratia confirmati sunt ut nequeant fieri mali, et mali in malitia adeo obdurati sunt, ut non valeant, fieri boni, et tamen utrique habent liberum arbitrium; quia et boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate per gratiam quidem adjuti bonum eligunt et malum respuunt; et mali similiter spontanea voluntate a gratia destituti, bonum vitant et malum sequuntur; et mali habent liberum arbitrium, sed depressum atque corruptum, quo esurgere ad bonum non valent.

Ex quibus verbis fere literaliter sumptis sequentem, argumentationis gratia propositionem statuimus: In angelis datur libertas quæ quidem in eis aliquo modo manet tam in bonis post confirmationem in bono quam in malis post obdurationem in malo.

PRIMA PARS.—In angelis datur libertas. Ait. enim D. Thomas, (Summa Theologica; q. 57; art. 3.) «Libertas arbitrii ad dignitatem hominis pertinet; sed angeli digniores sunt hominibus: ergo libertas arbitrii, cum sit in hominibus, multo magis est in angelis. Quædam enim sunt quæ non agunt ex aliquo arbitrio, sed quasi ab aliis acta et mota, sicut sagitta a sagittati movetur ad finem. Quædam vero agunt quodam arbitrio, sed non libero, sicut animalia irrationalia; ovis enim fugit lupum ex quodam judicio quo existimat eum sibi noxium; sed hoc judicium non est ipsi liberum, sed a natura inditum. Sed solum in quod habet intellectum potest agere judicio libero, in quantum cognoscit universalem rationem boni, ex qua potest judicare hoc vel illud esse bonum. Unde ubi est intellectus, est liberum arbitrium. Et sic patet liberum arbitrium esse in angelis etiam excellentius quam in hominibus, sicut et intellectum.»

Cajetanus in expositione super D. Thomam ait: «In titulo hoc, nempe, *utrum in angelis sit liberum arbitrium* hoc solum notandum est, quod licet voluntas et liberum arbitrium sint unam potentiam secundum veritatem, ac per hoc videri posset quod posita voluntate non debeat revocari in dubium liberum arbitrium, et sic articulus iste sit superfluus; si quis tamen, diligenter consideret necessitatem hujus articuli ex duobus perpendet. Primo quia liberum arbitrium facultatem communem sonat intellectus et voluntatis cum dicat quid compositum ex libertate et arbitrio, ac per hoc incertum adhuc est in hoc loco, an sit idem quod voluntas, quin etiam a quibusdam hoc non acceptatur. Secundo ex eo quod voluntas appetitum intellectivum ipsius boni nominat, et non modum appetendi, scilicet, libere vel non libere, et propterea post stabilitam voluntatem et appetitum boni intellecti in angelis, merito restabat quærere de modo appetendi; utrum libere vel non libere, quod in præsentis articulo intenditur, sub vocabulo liberi arbitrii, quod nihil aliud significat, nisi actum liberum.

In corpore unica est conclusio responsiva affirmative. *In angelis est liberum arbitrium.* Et probatur sic. Intellectuale est iudicii liberi;